

messe vsitatum est colonis numerare annos. D. Luthero etiam placuit synecdoche et citauit hoc exemplum, quo nunc omnes delectantur: „Columba est Spiritus sanctus.“⁹⁸ Operae precium est igitur illud examinare, vt constet, quae sit vera sententia et an recte dictum sit a quodam, Lutherum in causa coenae commodius sensisse quam interdum locutus est. Essentia Spiritus sancti vere et proprie non magis praesens erat cum substantia columbae quam alibi. In Deum enim nulla cadit extensio vel praesentia localis, sed Deus vbique est. Propositio vero ista hoc dicit: Cum ista visibili specie columbae Spiritus sanctus Christo inchoanti suum ministerium ad excitandam fidem in spectatoribus infundebatur. Ita flammae in ore apostolorum erant Spiritus sanctus, hoc est, cum ista visibili specie flammarum donabatur Spiritus sanctus apostolis.⁹⁹

Hic iudicent omnes, qui non sunt [28:] fascinati amore sectae contrariae, qualis constituatur praesentia nempe ea, quae personae donata est et praesentia efficaciae nominatur, non vero aliqua alligatio ad res externas. In persona enim Christi et in apostolis non vero in columba vel in flammis efficax erat Spiritus sanctus. Quare explodatur illud vere absonum commentum de praedicatione inusitata, quae solum referenda est ad propositiones de duabus naturis in Christo et vere essentialis est, sed significans modum copulationis inusitatum in natura. Sed contra hanc planam, veram et piam sententiam sparguntur clamores ita truces, vt etiam constantem possint percellere. Vociferantur enim plurimi intoleranda audacia a nobis τὸ ῥητὸν abiici et econtra quaeri τὴν διάνοιαν, quae blandiatur hominibus ingeniosis et philosophis. Hos rogabimus, ne saeuiant tantopere, cum ira maxime impediatur iudicium, sed vna nobiscum causam ipsam excutiant. Cogitemus mentem et consilium benefici nostri saluatoris, qui voluit instituere sacramentum, hoc est ritum testificantem in ministerio de applicatione suorum beneficiorum, et qui illius applicationis esset sigillum hominis causa non vero voluit erigere idolum simile igni Persico¹⁰⁰ aut Ur Chaldaeorum, ex quo sese ereptum laetatur et gratias Deo agit Abraham.¹⁰¹ Vtri ergo retinent τὸ ῥητὸν? Nos, qui locutionem hanc sacramentalem sacramentaliter accipimus, qui simpliciter credimus nos ista sumptione socios fieri corporis Christi, an vero pars aduersa, quae de substantiali corpore et eius praesentia cum pane ita dissimiliter disputat. Ideo cum res esset planissima et maxime intelligibilis, nulla mota fuit super ea inter assidentes apostolos disceptatio, qui tamen de rebus multo minoris momenti soliti sunt ambigere. Meminerant Christum dulci et longa concione alias docuisse de manducatione suae carnis, hoc est de communicatione sui, qua restatus est, velle sese in piis esse efficacem et eos conformes suo corpori efficere vel suae carnis gloriam et vitam in illos propagare. Et in

⁹⁸ Vgl. Mt 3,16 par; Joh 1,32.

⁹⁹ Vgl. Act 2,3f.

¹⁰⁰ Vgl. unsere Ausgabe, Nr. 1: Propositiones (1570), 71, Anm. 183.

¹⁰¹ Vgl. Gen 12,8.